





10
1.
2.
10
10
2.
3.
7
1.
2.
3.
10
1.
2



1666.

1. Pomeroschius, Joannes : De mutuo.
2. Pomerosch, Joannes : De judiciis.

1667.

1. Friedelich, Conradus : De igne nocente.
1. Friedelich, Conradus : Tractatus juridicus ... de igne nocente, mentionem facit, ejusque explicationes ... Rec. 1675
2. Gerdener, Fredericus : De mandatis cum et sine

clausula.

3. Gerdener, Fredericus : Programma, quo ... ad in ang ... de mandatis cum et sine clausula dicitur ab ... Aug. Wulffio ... pro summo in abs. jure honoribus consequendis ... insitit

1. Friedelich, Conradus : De magistratu politico

2. Pomeroschius, Joannes : De baccho seculari.

3. Pomeroschius, Joannes : Programma, quo

et dissertationem inauguralem, a Christiano a Thienero :

De baccho seculari habendam ... insitit.

1670.

1. Mascoovius, Petrus : De jure inventaris.
2. Mascoovius, Petrus : De quasi-usu fructu.

1670

3. Pomeranchius, Joannes: De jure colonariorum

1671.

1. Gerdessius, Fridericus: De monopolis

2. Gerdessius, Fridericus: De jure representationis

3. Gerdessius, Fridericus: De successione inter utrum
et uxorem.

4. Gerdessius, Fridericus: De remissione pensionis

in mercedis in locatione et conductione

5. Gerdessius, Fridericus, Fac. jur. Decanus: ad Prop. in aug.

de remissione mercedis in locatione conductione

Tractatus Westphalensis pro summis in utroque

jura honoribus... consequentibus... in utroque

6. Gerdessius, Fridericus: De majore parte ejusque

praerogativa.

8. Pomeranchius, Joannes: De deterioratione.

1672.

Fidelis, Casus, De ambigu.



4534.

Q. D. O. M. B. V. 1666/1

~~1666~~

DISPUTATIO. JURIDICA. INAUGURALIS.

DE

M U T U O.

QUAM.

DECRETO. ET. AUTORITATE.

MAGNIFICI, ICTORUM. ORDINIS.

IN. REGIA. ACADEMIA. GRYPHICA.

P R A E S I D E

VIRO. NOBILISSIMO. AMPLISSIMO. CONSUL-
TISSIMO. EXCELLENTISSIMO.

Dn. JOANNE. POMERESCHIO.

ICTO. ET. ANTECESSORE. PUB. CELEBERRIMO.
FACULTATIS. SENIORE. ET. DECANO. SPECTA-
BIL. REGII. CONSISTORII. VICE-DIRECTORE.
GRAVISSIMO. ETC.

DOMINO. ET. MAECENATE. SUO. PLURIMUM.
DEVENERANDO.

D O C T O R A L E M.

NOBILITATEM. ET. INSIGNIA. IN. UTROQUE.
JURE. PROMERITURUS.

PUBLICAE. ERUDITORUM. DISQUISITIONI.
AD. DIEM. MENS. AUGUSTI.

A. R. O. S. M. DC. LXVJ.

IN. AUDITORIO. MAXIMO. SUBMITTIT.

JOACHIMUS. BUSCHOVIUS.

RUPINO-MARCHICUS. AA. LL. MAG. ET. REGII.
DICASTERII. QUOD. IN. POMERANIA.

EST. ADVOCATUS.

GRYPHISWALDIÆ.

TYPIS. MATTHÆI. DOISCHERI. ACAD. TYPOGR.

60



G.D.O.M.B.V.

M U T U O

MAGNIFICI CTORUM ORDINIS
IN REGIA ACADEMIA GRÆCICA

YIBO NOTISSIMO AMPLISSIMO COMITIS
TISOM EXCELLENTISSIMO

Polyb. lib. VI.

Δεῖ τὴν ἀγαθὴν κερτὴν ὅσα ἐκ τῶν ἀφαιπομένων δοκι-
μάζειν τὰς γράφοντας, ἀλλ' ἐκ τῶν λεγομένων.

DOMINO ET MAJESTATE SUE CÆSARIS
DEVENIENDO

DOCTO R A L E M
NOSTRATUM ET INGENIA IN UTROQUE
PURE PROMPTISSIME

PUBLICAS ERUDITIONUM DISPOSITIONI
ADDEM. MENSA AUGUSTA
A. R. O. S. M. D. C. C. X. V.

IN AUDITORIO MAXIMO SUBMITTIT
JO A C H T M U S B I S C H O F U S

RUPINOMAR CHICUS DA EMAS ET REGII
EPIAS TERII QD IN YONERANA
EST ADVOCATUS

GRYPHIS WALDIA
TYPE MATTHEI BOISSIERI. ACAD. T. 1702

00





Ntequam ad interiora ἔ Mutui, secundum methodum à plerisq; hæcenus observatam, pedem proferam, operæ pretium fore existimo, ut in prima vestibuli parte aliquantulum subsistam, & notationem & interpretationem verbi, *Mutuum*, juxta mentem Ulpiani J Cti in *l. 1. de Just. & Jur paulo penitus contempler*. Nomina namque sunt quasi quædam picturæ, & characteres, ex quibus ipsa rerum innotescit natura *Gell. noct. attic. lib. 13. cap. 10.* nec ullus rem, nisi verba, quibus res significatur, cognoverit, intelliget. *l. 7. §. ult. de supell. legat. l. 1. §. 1. de suspect. tut.* Cui quoque subscribere videmus Jus Canonicum *c. 5. caus. 12. q. 1.* dum pro Regula tradit: Nominis interpretationem & definitionem præ omnibus diligenter esse advertendam.

II. Sciendum itaque romanum esse *Mutui* verbum, quæ verò vera ejus radix, ex dicendis patefcet. Cujacio *lib. XI. observat. 37. p. 529. 528.* deductum videtur à mutatione, quod mutetur hoc genere pecunia cum pecunia, dum par quantitas accipitur & redditur, quodq; consistat in his, quæ facile mutationem & promiscuum usum recipiunt. Justiniano imperatori, & J Cto Paulo dicitur *Mutuum* quasi *μῦ πῶν*, ideo quia de meo tuum fit. *in pr. & §. 1. Inst. quib. mod. re contr. obl. l. 2. §. appellata 2. l. 3. in fin. de reb. cred. l. 1. §. re contrabatur. 2. de O. & A.*

III. Quæ Justiniani & Pauli derivatio utut magis sapida, allusio tamen hæc est, nec vera vocis originatio, stoicorum prudentiam redolens. Hi enim satis esse ducebant, fingere aliquod etymon, modo virtutis aliquid,

aut doctrinae hac occasione instillare liceret. *Dn. Fesch.*
disp. de re venator. §. 3. lit. B.

IV. Mutuo æquipollet non in generali, sed stricta
appellatione creditum *l. 2. §. 1. l. 15. §. d. reb. cred. l. 11. d. V. S. l. 19.*
in fin. ad Sc. vellej. quia in hoc contractu præcipue credit pe-
cuniam, & alienam fidem sequitur, qui mutuo dat, quare
in creditum specialiter ire dicitur, qui mutuum contrahit.
Mutuatio vult. in jurisprud. Rom. l. 1. c. 131. n. 2. Mutuidatio pr.
Inst. 2. M. R. C. O.

V. Etymologia & Synonymia investigata homo-
nymia quoque vocis est indicanda. Cum mirum non
sit moribus civitatis & usu rerum vocum appellationem
mutari *l. 7. §. 1. π. de supell. legat.* In ambiguo autem sermone,
non utrumq; dicim⁹, sed id saltem quod volumus. *l. 3. §. de*
reb. cred. Et quoties idem sermo duas sententias exprimit:
ea potissimum excipitur, quæ rei gerendæ aptior est. *l. 67.*
π. d. R. 7. Accipitur igitur 1. de mandato *l. 49. §. 2. π. de legat.*
3. l. 12. §. 14. de instruct. vel instrum. leg. & vicissim commoda-
tum de mutuo *l. 2. C. de his qui ex publ. ration. Cic. in orat. verrinar.*
publice commadasti non sine magno Siciliae detrimento
modios 60. Sed satis improprie. Nam in commodato
dominum non transfertur, sed eadem species reddi de-
bet, in mutuo verò res accipientis fit, qui non eandem
speciem, sed idem genus restituit. 2. de vicissitudinario
& reciproco, ut cum dicimus viaticum mutuum *l. 22. π. si*
cert. pet. mutuum argentum. *Plaut.* Frumentum mutuum.
Cic. contr. Rull. 3. de alienatione quantitatis sub pacto tan-
tundem reddendi, quæ consideratio est hujus loci. *§. 2.*
Inst. de I. N. G. & C.

VI. Atque ita *ἐνοματολογία* perlustrata ad alteram
vestituli partem, quæ definitionem atque divisionem
(quas Fallacia, tanquam inimicos, ex regno suo pro-
scribit.

1057.
scribit. *Nobilis. Dn. Harsd. in prefam. Sophist. ad Lectorem*)
exhibet, progredimur. Definitur à variis varie. Dn. Ca-
rolo Annib. Fabroto Antecessori Aquifextiensi *in Epist.*
ad amicum alienatio pecuniæ, sub lege reddendæ ejusdem
quantitatis dicitur. Clariss. Dn. Salmasio placet obliga-
tionem esse re contractam, ad idem in genere non in
specie, reddendum. Alii aliter definiunt, sed nos cum
Nobilis. Dn. Praside in annot. in Instit. dicimus: Mutuum
esse contractum jurisgentium nominatum, stricti juris,
re constantem, in quo rem fungibilem eo animo alteri
tradimus, ut tum quidem accipientis fiat, postea tamen
is non eandem speciem quam dedimus, sed idem genus
reddat. Ex qua definitione natura mutui facile intelli-
gitur, nec opus admodum est, ut (velut rudiores Ægy-
pti pictores circa ingeniosissimæ artis incunabula ver-
santes, pictis animalibus nomen addidère: ecce equum;
non asinum; canem; non leporem; lusciniam; non upu-
pam *Dn. Harsd. in Soph. act. 2. Sen. 1.*) de forma hujus definitio-
nis adeo dubitemus, utrum cum titulo conveniat.

VII. Mutui diversas interpretes species confin-
gunt. Esse aliud naturale tantum dicunt, quando sine li-
terarum obligatione vel stipulatione, & sic nulla
obligatione vel jure cogente ego actu numero, &
mutuo tibi pecuniam, & in te dominum ejus transfe-
ro. Aliud Civile tantum, in quo natura non coopera-
tur, ut si quis spe futuræ numerationis det alicui chi-
rographum, in quo confitetur se mutuo accepisse pecu-
niam, quam non accepit, ex illa scriptura oritur mutuum
civile, cui natura non cooperatur, quia non est secuta nu-
meratio. Aliud mixtum, quod utroq; jure & naturali,
& civili est munitum, idq; duplex Dd. Quoddam enim
naturale, cui cooperatur Jus civile per aliquam fictio-
nem,

nem, ut quando pecunia & res vere intervenit & numerata est, jus tamen fingit eum numerasse, qui non numeravit, vel esse Dominum, qui non erat Dominus, veluti si meus servus vel filius nummos peculiares alteri mutuo det, nam tunc mihi quaeritur actio *l. 2. §. 4. de reb. cred.* Quoddam civile, cui cooperatur natura, quando quis stipulando promittit dare alicui 100. & ante aut post stipulationem numeratio interponitur, eo oritur mutuum Civile per stipulationem, quæ est juris civilis, cui natura per numerationem cooperatur. *Dn. Richt. in tr. de contr. disp. 2. de mutuo. §. 3. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 20. §. 1. lit. D. Nicol. Mozz. tr. de contract. tr. de divis. mut. num. 1. & seqq.* Verum hanc divisionem ut rationis ratiocinantis sine superstitione cum Ezardo Stamlero *in colleg. de contract. disp. 2. §. 20. & 21. Goedd. de R. C. cap. 2. num. 28. & 29. Habn. ad w. Wefenbec. tit. de R. C. num. 9. Dn. Struv. in Syntagm. J. C. Exerc. XVI. num. 6.* non admittimus, cum id, quod vocant civile tantum sit diversus contractus nim. literarius, & stipulationis inventu non sit Mutuum, sed stipulatio *l. 6. §. 1. l. 7. de novat.* reliquis autem casibus non distinctæ species mutui contineantur, sed unius ejusdem naturæ mutuum sit, idque juris gentium civili quoq; jure recepti *l. 6. de Just. & Jur. sive ego, sive alius meo nomine pecuniam numeret.* Nec illa, qua alii mutuum dividunt in gratuitum & foeneratum vera, & generis in suas species est divisio. Usuræ enim stipulanti promissæ non debentur ex mutuo; sed ex stipulatione vid. *l. 24. ff. de prescript. verb. par esto* iudicium de mutuo absoluto & relato, quod & promutuum appellatur, & indebitum intelligitur. *Bonacin. tr. de contractib. quest. 5. punct. 1. propos. 2.*

• III. Sic utraq; vestibuli parte jam contemplata tempus monet ut ipsum *παραγματολογία* atrium ingrediamur, circum-

2058.
circumspecturi de consentaneis & dissentaneis. Consentanea intelligo, causarum & effectuum. Causæ sunt vel externæ, vel internæ. Illæ sunt efficiens & finis.

IX. Efficiens autem est vel remota, vel propinqua Remota est ipsum jus gentium, ex quo omnes ferme contractus introducti sunt. §. 2. *Inst. de J. N. G. & C. l. 7. c. de pact.* Ubi D. Justinianus inter exempla contractuum contractum mutui nominatim refert. Neminem vero hic *l. 12. tabul. de empt. & vend.* (qua cautum est, emptionem & venditionem Juris Civilis esse,) dubietate discriminet. Multa enim legibus caventur, quæ tamen Juri Gentium esse suum acceptum referunt. *arg. l. 1. π. locat.* Deinde quod adferri communiter assolet. Emptionem & venditionem non esse nisi interventu pretii, id est, pecuniæ numeratæ *in pr. Inst. de empt. & vend. l. 2. §. 1. c. de contrahend. empt.* Sed nummorum usum primis seculis fuisse incognitum. *l. 1. in pr. c. de contr. empt.* Jure verò Civili demum autoritate principis introductum *l. fin. C. de vet. num. pot.* E. emptionem & venditionem ex Jure Civili non Gentium esse introductam. Sed tamen hæc tanti valoris meo judicio non sunt, ut contrariæ adstipulemur. Licet enim pecuniæ forma sit ex autoritate publica, consensus tamen est ex Jure Gentium *l. 84. §. 1. c. de R. I.* Nec quæ ex *l. 1. c. de acq. rerum. dom.* solent objici, assertioni nostræ nocent. Tantum ea curamus, quantum aut numerum lupus, aut edentuli puces ἀμύλοι παρόντος.

X. Ventilanda h. l. venit quæstio contrariis Dd. opinionibus varie agitata, an mutuum contractus. Negant Rebuff. Brech. Alciatus, addunt pro negativa hanc rationem quod σανάλλαγμα μονόπλευρον. Sed hac ratione, non obstante, affirmativæ cum Lindemanno, Dn. Struvio & Nobiliss. Dn. Præside subscribere se profitentur
faniores

faniores quique. Idq; r. propter textum generalem §. Jus
gentium Inst. de J. N. G. & C. 2. per l. hoc jure C. de Just. & Jur. l.
contractus C. de fide instrum. l. 1. §. 2. l. obligamur de O. & A. l. pro-
ut quidq; ꝯ. de solut. 3. quia non ex vinculo utrinq; obliga-
torio, sed negotio ipso ad obligationem producendam
idoneo, contractus substantia metienda ; quippe mutu-
um talis conventio est, quæ per se sine juris adminiculo
ad producendam actionem efficax est l. 7. §. 2. ꝯ. pact.

XI. Propinqua causa efficiens mutui sunt personæ.
Hæ enim nisi essent nunquam jus constitui posset. l. 2. ꝯ.
de stat. hom. §. fin. Inst. de J. N. G. & C. Suntq; personæ istæ
contrahentes vel immediata, vel mediata. Immediata
sunt quæ consentire possunt, dominium, liberamq; rerum
suarum administrationem obtinent, nec specialiter lege
prohibentur arg. l. 2. §. 3. ꝯ. de R. C. l. 43. §. 1. ꝯ. de procurat. Mantic.
de tacit. & ambig. convent. lib. 8. tit. 5. num. 1. Unde dispalescit.
ex natura contrariorum rem alienam, eum, qui Domi-
nus non est, mutuo dando nihil agere. Nemo enim plus
juris in alium transferre potest, quam ipse habet. l. 54. Id.
R. l. l. traditio 20. pr. d. A. R. D. Atqui in mutuidatione domi-
num dantem esse portet, neque solum dominum, sed in-
super plena & libera rerum administratio requiritur l. 2. §.
in mutui datione ꝯ. de reb. cred. l. 15. cui bonis 6. ꝯ. d. verb. oblig. l. se
ab eo 12. ꝯ. de usucap. Unde Filius familiaris cum adhuc sit sub
potestate patris sui naturalis mutuare non potest. Nam
filius fam. quamvis liberam peculii administrationem ha-
bere videatur, mutuum tamen contrahere ipsi interdici-
tur. Non enim perdere peculium pater concedit, cum
peculii administrationem filio permittit. Borch. ꝯ. de reb.
cred. Et licet filii fam. ut maxime, veluti patres fam. re-
gulariter in omnibus causis pleno jure obligentur, tam
ex contractibus l. 37. ꝯ. de judic. l. filius f. 39. ꝯ. de oblig. & act.
quam

1059.
quam ex delictis, attamen id non procedit in contractu
mutui *l. 1. π. ad Sc. Maced.* Cum enim *l. 11. l. 7. in pr. de Sc. Maced.*
temporibus Vespasiani Imperatoris *Svet. in vesp. Af. c. 1. 1. A-*
lex. ab Alexand. lib. 1. genial. dier. cap. 7. in fin. Improbns foene-
rator Macedo flagitiose adolescentibus filiisfam. pecu-
niam ad quemvis luxum crederet; sic ut tandem ære a-
lieno obruti in quodvis flagitium, ac mortis etiam æter-
næ cogitationem impellerentur, *J. pen. Inst. quod cum eo qui*
in al. post. ut facilius se expedirerit ab ære alieno *l. 1. π. de Sc.*
Maced. malo huic salutare remedium Senatus invenit,
ac prohibuit mutuas pecunias dare eis, qui in potestate
Parentum sunt, ita ut ei, qui crediderit, denegetur non
solum condictio certi pro repetendo mutuo, sed actio
quælibet alia eo fine intentanda, siue in rem sit, siue per-
sonam *l. in pr. hisce verbis, ne cui actio petitiog, daretur. π. ad Sc.*
Maced. nulla etiam habita ratione utrum pecunia
consumpta sit, an adhuc extet. *l. 9. §. 2. vers. nec interim π. eod.*
Melius n. erat coarctari juveniles calores, ne cupidini
dediti tristem sentiant exitum *l. f. C. bon. quæ lib. quæ ratio*
cum hodie non cesset, *Sctm non cessabit c. cum cessante bo.*
ext. appellat. Et nihil interest quis filiosfam crediderit, u-
trum privatus, an civitas. Nam in civitate quoq; *Sctm*
locum habere Divi Severus & Antoninus rescripserunt
l. 15. π. de Sc. Maced. nec obstat dignitas *l. 1. §. fin. π. de Sc. Ma-*
ced. Ast si filiosfam. peculium castrense habeat *ex constit.*
Justin. Imperat. exemplo cujusvis patrisfam. pleno jure
obligatur *l. fin. §. ult. C. ad Sc. Maced.* vel etiam filiosfam. pe-
culium quasi castrense obtineat, quo casu *Sctm* non ab-
solute, sed ad quantitatem peculii quasi castrensis cessat
l. 1. in fin. & l. 2. π. ad Sc. Maced. quæ leges, quando *d. l. fin. C.*
eod. de filiosfam. milite non reperiantur sublata, suum ad-
huc vigorem in togatis militibus obtinebunt, arg. *l. pen. C.*

B

de

de appellat. & l. Sancinius C. de testam. vel si filiusfam. sui juris factus debitum agnoverit l. 2. v. vel alias agnovit debitum C. ad Sc. Maced. Nec minus filiusfam. obligatur, si quis patremfam. esse crediderit, non vana simplicitate deceptus, nec juris ignorantia, sed quia publice paterfam. plerisq; videbatur, sic agebat, sic contrahebat, sic muneribus fungebatur *l. 3. in pr. π. de Sc. Maced.* vel etiam creditor per ætatem, aliudve impedimentum, scire non potuerit, utrum filiofam. crederet. *d. l. 3. §. proinde 2. π. d. t.*

XII. Porro cum supra dictum, mutuum tantum contrahere posse, qui dominium in alium transferre possunt, liberamq; habent bonorum suorum administrationem. Hinc indubii juris est neque pupillum mutuum dando simpliciter obligare, nec accipiendo, aliove modo contrahendo obligari posse, *l. jusjurandum 17. §. 1. π. de jurejur. cum non ipse, sed tutor sit Domini loco per l. tutor. in pr. π. d. admin. & peric. tut.* Quod etiam in tantum se extendit, ut nec valeat mutuum factum per pupillum sine tutoris auctoritate, etiamsi tutor postea ratum habuerit, & consenserit. arg. *l. obligari 9. §. tutor. π. de aut. tut.* Nisi aut pupillus doli capax in mutuo sine tutoris auctoritate contrahendo fraudulenter versatus *l. 1. §. 15. π. de pos.* Jura enim deceptis non decipientibus subveniunt *l. 1. §. 3. ad Sc. Vellej.* Et hoc in casu malitia supplet ætatem *l. 3. C. si min. se max. dix.* vel locupletior sit factus *l. 1. §. 1. π. de negot. gest. l. 3. commod. l. 5. vers. naturaliter tamen oblig. & §. 1. vers. nisi in quantum locuplet. π. de aut. tut. l. 13. cum l. seq. π. de condict. indeb. l. 1. §. an in pupill. π. de pos. l. nature π. de R. I. quo casu non modo naturaliter sed & civiliter obligatur. l. 3. §. pupill. π. de negot. gest. l. 3. in pr. π. commod. l. pupill. 5. de autor. & consens. tutor. l. 1. §. an in pupill. 5. π. de pos.*

XIII. Ejusdem census furiosi, prodigi, mentecapti, demen-

1060.

dementes & fatui *l. si à furioso* π . *de reb. cred.* quia omnes hi & singuli liberam rerum suarum administrationem non habent, sed sunt in potestate tutorum aut curatorum, & sine consensu eorum nihil agere possunt \S . 5. *Inst. de curat.* non tantum quia nulla eorum voluntas, nulla mens, animeve sensus est \S . 5. *Inst. 2. non est permiss. fac. testam. l. 22* \S . 5. π . *sol. matrim.* Sed etiam patrimonium, corpus & salus eorundem versatur sub tutela & arbitrio curatoris. *l. consilio 7. in pr. & pass. ω . de curat. furios.*

XIV. Per prodigum autem hinc exaudimus non tam η μ ω ς , seu qui moribus ita comparatus est, ut neque tempus, neque finem expensarum faciat *l. 1. in pr. ω . de curat. furios.* quam ν ρ μ ω ς , de eo qui talis prævia inquisitione *l. 6. d. t. à magistratu declaratus, & cui à prætore curator constitutus est. l. 1. l. Julian. eod. Dn. Eccardus ab Usedom p. m. Eques Pomeranus, quondam imperialis camera assessor, & postea Ducis Pomeraniae consiliarius. Goedd. de contrah. & comm. Stipul. c. 7. concl. 10. num. 141. & seqq. Duar. Cujac. in l. 15. cui ω . de acq. her. Viglius in \S . item prodig. 3. *Inst. quib. non est permiss. fac. testam. Damhoud. de tutot. & curat. mun. cap. 8. num. 11. Borch. de pact. c. 4. n. 10. Jul. clar. \S . test. q. 43. Viv. lib. 1. comm. opin. 247. Val. Franc. de fidejuss. c. 2. n. 53. Frideric. Albert. Maulius in thesauro theoricopractico à Ludovico Bourgeat edito in cap. de mutuo titul. 4. num. 7.**

XV. Hasce personas excipiunt mediatae, quæ alieno nomine contrahentes, eidem vel obligationem acquirunt, vel eundem, diverso tamen respectu, obligatum reddunt. Suntq; vel cum mandato, vel sine mandato, cum mandato vel generali, vel speciali. Generali mandato personæ mediatae obligationem acquirunt. 1. filiusfamilias, & servus peculii administrationem habentes *l. 11. \S . & quidem 2. l. 2. \S . pen. π . de reb. cred. l. 28. \S . 2. π . de pact. 2. institores l. 13. π . *Inst. act. 3. Consules, Syndici, quia universitates**

tates seu civitates privatorum jure utuntur, *l. 16. w. de V. S.* quin ergo & illæ ex mutui contractu, perinde ut alius quivis privatus obligari possint, nullum est dubium, modo tota civitas h. e. omnes cives, vel major eorum pars, aut concilium optimatum puta die zwanzig oder vier und zwanzig Männer / quibus à populo libera potestas statuendi de rebus tam maximis, quam minimis est data contraxerint *Joan. Kopp. dec. 60.* vel decreverint, ut alii eorum nomine veluti Consules, Syndici contraherent. *Arn. Engelbr. de Jurisd. Imperii thes. 162.* Sin verò administratores Civitatum & Syndici sine populi totius, vel Deputatorum ejusdem consensu civitatis nomine mutuo acceperint, non aliter conveniri potest civitas, quam si creditor pecuniam in civitatis usum versam esse probaverit. *l. Civit. 27. & ibi D. communiter ff. de reb. cred. Novell. 120. c. 6. §. 2. circ. fin. arg. l. fin. C. de vendit. rer. Civit.* Verum sunt aliquot conjecturæ in utilitatem civitatis pecuniam mutuo datam esse versam. Prima est, si tempore mutui civitas valde indigebat pecunia mutuata, & administrator accepit mutuo eam ob causam secundum *gl. in auth. hoc jus porrectum C. de SS. eccl. Petr. Cyn. & Bald. in l. ult. ff. de exerc. act. Salic. Castr. Rimin. Sen. & Dec. in l. civitas si cert. pet.* A quibus tamen dissentiunt Aliatus & alii. Verum *Men. A. I. 2. cas. 432.* cum Alciato relinquit judicis arbitrio, ut cognoscat, an probabiliter ita actum sit. II. si administrator consuevit civitati utilia diligenter & summa fide peragere *Alciat. & Rim. in l. civitas si cert. odofr. Cyn. & Alb. in auth. hoc jus porrectum. C. de SS. eccl. Castr. cons. 338.* III. cum modica summa, fuit mutuo data *Alciat. d. l. civitas n. 6. vers. quid si modica.* IV. si confestim cum mutuo data est pecunia reperitur satisfactum illi causæ, ob quam mutuum fuit susceptum, nam tunc præsumitur satisfactum ex illa pecunia. *Rom.*

Rimin.

2067.
Rimin. Sen. Alex. & Alciatus d. l. civitas Jacob. Butrig. & Alber. in d.
auth. hoc jus porrectum. Ceterum ubi Civitas ex mutui da-
tione non obligatur, obligatur tamen is qui nomine Ci-
vitatibus mutuo accepit, non quidem ex contractu
mutui, sed conditione causa data, causa non secuta,
quia pecuniam accepit, ut in utilitatem Reipublicæ ver-
teretur, quæ causa cum secuta non sit, pecunia recte ab
eo conditione ob causam repetitur. l. si procurat. falso. ff. de
condict. caus. dat. caus. non sequat. Bart & Donell. in l. Civitas 27. ff.
si cert. Andr. Gail. de arrest. c. 9. n. 5. Koppen. dec. 60. Mart. Stephan.
c. 1. q. 19. lib. 1. Inst. Jo. Kitzel de R. C. c. 4. n. 8. Et hoc propterea
ita cautum esse videtur, ne Civitas administratorum
culpa damnum sentiat, & ut vigilantiores reddantur, qui
Civitatibus nomine pecunias mutuas accipiant, cum in
ipsorum perniciem hoc redundet, si pecunia in utilita-
tem Civitatis conversa non sit.

XVI. Speciali mandato mutuum dant nuncii sc. &
procuratores ad id constituti, ita ut ipsis mandantibus
ex hoc quoque mutuo per procuratorem & nuncium
contracto, immediate actio acquiratur l. 41. vers. nam etsi ff.
de reb. cred. l. 4. C. si cert. pet. ibi Dn. Brunne man. arg. l. 126. §. 2. ff. de
V. O. l. 2. C. per quas personas nobis acq. adeo si tertius suam pe-
cuniam meo nomine, & voluntate mea crediderit, mihi
exinde obligationem, & actionem acquirat. l. 9. §. 8. ff. de
R. C. l. 126. §. 2. ff. de V. O. Perinde ac si ipsemet dedissem vid. l.
3. §. pen & ult. ff. de donat. inter vir. & ux. Imo etiam si tertius
me absente & ignorante suam vel meam dederit pecuni-
am mutuatam, meo tamen nomine, tanquam meum nego-
tium gerens, mihi tamen etiam absenti, & ignoranti ac-
quirit conditionem l. 4. C. si cert. pet. d. l. 126. §. 2. de V. O. quæ
omnia in mutuo singulariter ita recepta sunt, quia hic
per actum & traditionem naturalem acquiratur obliga-
tio.

tio. vid. l. 53. ff. de A. R. D. Dn. Brunneinan. ad d. l. 4. C. si cert. pet. & ibid. Gilken. num. 4.

XVII. Sine mandato vero alium obligare (cum re mutuata accipiens obligetur l. 13. C. si cert. pet.) æquitas nullo modo patitur.

XVIII. De causa subjectiva satis: Jam ad sui contemplationem nos invitat objectum. Ubi ad res ipsas animum attendere oportebit. Mutui datio consistit in his rebus, quæ pondere, numero mensurave consistunt: quia functionem recipiunt magis in genere suo, quam in specie l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. hoc est, cujus singula individua quantitate & qualitate ita sunt paria, utiis absumtis, eadem in genere restituantur, & præstentur, in effectu perinde sit, ac si eadem quæ datæ sunt, in specie reddantur, nec aliud pro alio solvatur. Ceteræ res, puta equi, boves, gladius, arma &c. non sunt tam æqualis æstimationis, ut idem possit dici restitutum, quoniam equi, boves &c. propria quadam partim naturæ, partim artis vi & qualitate constant, qua ab aliis equis, bobus &c. ita differunt, ut quamvis in pari numero, ac pari pondere dentur. Nobiliss. Dn. Preses in annot. in Instit. Dicuntur autem res pondere, numero mensurave consistere, non quod illæ res in aliis contractibus non sint, aut etiam non possint numerari vel mensurari, sed quod aliter in commercia hominum venire, discerni, determinari, & certa species fieri non possint, quam per ponderationem, numerationem vel mensuram. Nimirum omnes quidem res corporales sua quantitate constant, non tamen omnes mediante pondere, numero aut mensura in commercia hominum veniunt, sed ut corpora ipsa jam determinatam quantitatem in se aut sua natura habentia considerantur, & de iis vel in genere, vel in specie contrahitur.

Alia

1082

Aliæ verò sunt incertæ & non determinatæ quantitatis, veluti triticum, vinum, oleum, pecunia, adeoque si in commercia deducantur, per pondus, numerum, aut mensuram, usu hominum communi determinantur, atque inde specialiter quantitates vocari solent, quæ in specie, quidem traduntur, sed si eadem restituendæ, cum usu absumantur, in genere non in specie possunt restitui. *Dn. Struvius in vol. 2. Syntagm. Jur. Civil. Exerc. 16. tb. 14. p. 578. 579.* Numero itaq; constant, & ratione ejus in mutuum veniunt pecunia numerata, & aliæ res, quæ regulariter adnumerantur *pr. Inst. quib. mod. re contr. obl.* non verò grex, non jumentum quoddam. Neque hîc interest, quod quædam res modo mensura, modo pondere constant, ut oleum & c. *l. 3. ff. empt. l. 39. §. 1. ff. eod.* Ratione ponderis aurum, pix, cera, & reliqua omnia quæ regulariter appenduntur *Bartb. in l. 2. §. 3. de reb. cred. Scotan. disp. 9. tb. 12.* Ratione mensuræ vinum, cerevisia, & quæ regulariter admetiuntur. Dicuntur hæ res alio nomine fungibiles *in l. 3. §. 1. ff. de reb. cred.* propterea quod in genere suo (quod à Philosophis vocatur species) functionem recipiunt per solutionem magis, quam in specie (quæ Philosophis est individuum) puta si mihi liquorem certi generis, cognitæque bonitatis mutuo dederis, eoque consumto tibi eadem mensura de meo, qui ejusdem generis & bonitatis est satisfaciam, hîc non restituo tuam tibi speciem, quæ consumpta est, sed in effectu per solutionem idem tibi reddo, quia meum vinum tui jam consumpti vice fungitur, tantumq; tibi præstat, quantum quod mihi dedisti, præstare poterat, non modo substantia & qualitate, sed etiam valore & usu.

XIX. Satis de materia: properandum ad formam, quæ consistit in eo ut res fungibilis tradatur, & acceptetur



tur ita, ut, quo accipiens ea uti possit, ejus fiat. *pr. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* Inde accipiendo quis obligetur ad reddendum idem genus in eadem qualitate & bonitate. Tria hæc obligatio includit, primo, ut res mutuo data eodem genere. *l. 2. ff. q. m. r. c. o.* Deinde ut tantundem *l. 11. §. 1. ff. de R. C. tertio*, ut idem qualitate reddatur. *l. 3. ff. eod.*

XX. Ad qualitatem pecuniæ mutuo datæ pertinet etiam bonitas, quæ duplex est intrinseca & extrinseca, *arg. l. 1. C. de veter. numismat. ibique & ad l. seq. 2. Dn. Brunne man. A. Perez in C. eod. n. 11.* Sive igitur bonitas extrinseca mutata fuerit, da der Werth verändert/versteigert/ oder geringert/ sive intrinseca, wann Korn / ipsa materia, und Schrot/ pondus, an der Münze gemindert wird/ h. e. wann die Thaler oder Ducaten an die feine schlechter/ oder am Gewicht geringer werden / regulariter ad tempus, formam & naturam contractus recurrendum, dandaq; opera, ut in tali moneta fiat exsolutio, qualis tempore contractus fuit in usu. *cap. olim causam X. de censib. l. cum quidem 3. ff. R. C. Arrigo Felserus Jctus Francus in relat. & decis. causa, qua convertebatur qualinam in pecunia ante plures annos contractum debitum genericum, hodie iterum solvi debeat.* Ita quoque pronunciarunt Scabini Lipsienses Mens. August. Anno 1589. in causa M. Ambrosii Sonnwaldes zu Leipzig/hat Anno 1570. als der Contract auffgerichtet worden/ der Thaler 35. Stieber gegolten/ & c. so ist der Schuldner die Ablegung mit Thalern / oder solchen Stiebern/ wie die tempore contractus gewesen/zuthun/ oder da sie nicht mehr zubekommen weren / den rechten Werth derselben zuerstaten verpflichtet/ und ihr seyd die jetzigen Stieber anders nicht/ als in ihrem Werth anzunehmen schuldig/ *D. R. W.* Similiter *Facultas Juridica Francofortensis Mens. Mart. An. 1619. ad consultationem Frankens von Borgens heredum: Et Facultad Juridica Jenensis ad consultationem Johannis Minden von Hamburg.*

XXI.

XXI. Supereſt ultima cauſarum finalis ſcil. Finis
mutui eſt mutua inter homines ſublevatio, hominis
namque intereſt *l. 7. ff. ſerv. export.* hominem beneficio ad-
fici *l. 3. ff. de Juſt. & Jur.* cum & natura cognationem inter
nos quandam conſtituit *l. 1. §. 1. ff. d. t.* conſequens eſt uni-
us indigentiam atque inopiam alterius copia ſublevari
debere, quo ipſo quoque tempus aliquod debitori
conceditur, ut re credita pro lubitu uti poſſit; *l. in
commodato 17. §. ſicut 3. ff. commod.* Non enim debet creditor
cum Sacco, ut ajunt, venire paratus *l. quod dicimus 105. ff. de
ſolut.* ſed ſpaciū aliquod relinquendum eſt debitori, in-
tra quod re commode utatur. Siq; ſpaciū hujus tem-
poris à contrahentibus fuit definitum ei ſtandum erit
per l. contractus ff. de R. J. l. 17. §. 3. ff. commod. Sin minus arbitrio
judicis determinandum relinquitur. *Menoch. d. arbitr. Jud.
cauſ. lib. 2. cauſ. 22.* Hujus aſſertionis ratio non eſt obſcura,
quia mutuum ideo contrahitur, ut inde aliqua utilitas ad
mutuatarium redundaret, quam percipere non poſſet, ſi
pecuniam, quam accepit, ſtatim reddere compelleretur.

XXII. Poſtquam ergo ſingulas mutui cauſas con-
templati ſumus. Ipſa methodi ratio ad conſiderationem
effectus & mutui nos ducit. Nascitur ex mutuo actio,
quæ dicitur condictio certi. Dicitur autem condictio à
condicere, id eſt, denunciare §. *appellamus 15. Inſt. de action.*
quonam, ut ait *Weſenbecius*, acturi ita, denunciare prius,
non autem ſolemni more judiciorum in jus rapere ſole-
bant. Eſtq; vel generalis, quo nomine omnes actiones
personales veniunt, *l. 25. pr. de O. & A. l. 4. §. 2. & ſin.* vel ſpe-
cialis, & ſignificat eas actiones in perſonam, quibus non
dominus intendit ſibi dari oportere *d. §. appellamus 15. Inſt.
de action. junct. l. ult. in ſin. uſufructu quemadm. quis utatur.* In
hac ſpeciali ſignificatione dividitur condictio in condi-
C
ctionem.

1013



tionem certi & incerti add. *Dn. Struvius in Syntagm. Jur. Ci-
vil. Exerc. XVI. §. 28.* Certi dicitur condictio respectu effe-
ctus, quia ad quantitatem certam in eodem genere, ea-
demq; bonitate & qualitate repetendam datur & insti-
tuitur. *l. certi condictio 9. in princ. juncta l. 6. ff. de R. C.* Eadem
in l. neque mutui 5. C. quib. non obj. long. temp. præscr. mutui actio,
& in l. pen. ff. de inst. actionib. l. rescriptum 12. §. 1. ff. de distr. pign. &
bypoth. pecuniæ creditæ actio nominatur. Hæc actio
competit creditori adversus mutuatarium, ut statuto
tempore præterfluxo rem restituat *§. mutui autem 7. de*
action. Ei qui communem pecuniam credidit pro sua par-
te *l. 13. ff. d. R. C.* Item absenti cujus nomine mutuum con-
trahitur *l. 9. §. 8. ff. eod.* deniq; pluribus numerantibus datur
singulis pro parte *l. 9. C. si cert. pet.* & horum etiam heredi-
bus, quia plerumq; tam heredibus nostris, quam nobis-
met ipsis cavemus *l. 9. ff. probat.* Adversus accipientes suo
nomine *l. 13. C. si cert. pet.* & adversus eorum heredes *l. 49. ff.*
de O. & A.

XXIII. Tandem ad dissentanea deveniamus. In-
ter quæ primum locum obtinent usuræ. Mutuum enim
est gratuitum. Trahit quippe originem ex officio atque
amicitia. Contraria autem est officio atq; amicitia mer-
ces *l. 1. §. 4. ff. mandat.*

XXII. An verò usuræ sint licitæ vexata est quæ-
stio. Ut proximus facultatibus ex haustus usuris grave-
tur, cognationi, quam natura inter omnes homines con-
stituit *l. 3. ff. de Just. & Jur.* adversum est, & hinc in eo divi-
narum juxta ac humanarum legum harmoniam depre-
hendimus *Levit. 25. Exod. 22. 25. Ps. 15. Ezech. 18. Deut. 13, 19. 20.*
Nebem. 5, 7. 8. prov. 18, 8. Luc. 6. l. quamvis 3. C. de usur. l. si quod C.
si cert. pet. Eodemque suffultum fundamine jus canoni-
cum omnes omnino usuras damnare videtur. *tot. tit. X.*

106
in 6. & Clem. de usur. Idemque imperiales constitutiones
Anno 1500. à Maximil. I. Anno 1548. à Carolo V. & Maximil. II.
Anno 1570. latæ & repetitæ confirmant. Unde & usuras
lucratorias, utpote mordaces ossa debitorum penitus
arrodentes, ac medullam ex ipsis ossibus exsugentes, in
Republica bene constituta minime tolerandas esse sta-
tuunt. vid. Covarr. lib. 3. res 1. Anton. de Rosell. de usur. Joan. à Ca-
pistrano de usur. num. 50. Joan. Baptist. lup. tractat. de usur. §. 1. n. 4.
Quin & in camera Imperiali ex simplici mutuo usuras
promissas nunquam adjudicari, & Juridica Collegia Ro-
mano-Catholicæ religioni litantia contractus hujus mo-
di tanquam usurarios prohibere, & usuras ex iis perce-
ptas, velut indebitas, in sortem imputandas esse pro-
nunciare tradit Lindeman. d. Mutuo dissert. ult. tb. 30.

XXV. Quamquam hæc, quæ de usurarum prohibi-
tione ex sacrarum literarum pandectis allata speciosa
sint, & applausum facile adinveniant, tanti tamen ea
non sunt, ut usurarum exactionem simpliciter & mora-
liter esse malam probent: alias enim nec DEUS Judæis,
ut extraneis foenerarent, permisisset Deut. 23. nec quoq;
esse simpliciter bonam; alias enim non modo à pauper-
rimo; sed & ditissimo exigere prohibuisset Levit. 25, 26.
nec præcepisset Exod. 22. v. si pecuniam 22. Ubi recte textus
germanicus habet: Soltu ihn nicht zu schaden bringen.
Deut. 15. pr. cum similib. Erit igitur ex illarum rerum genere
quæ per se neque bonæ, neque malæ sunt, sed ex acci-
denti tales fiunt. Licita ergo est usura punitoria scil. quæ
propter moram in solvendo commissam, vel fidem con-
tractus non observatam l. 1. §. 1. de usur. adeoque ob da-
mnum alteri datum, vel commodum ablatum l. 17. §. 3. de u-
sur. datur, & compensatoria, quæ ob usus compensatio-
nem l. 57. §. 6. ad Sc. Maced. l. 4. C. depos. debetur, non lucra-
toria,

toria, rodens proximum juxta *Ps. 15. Conf. Perez. num. 5. Hag. tract. de usur. cap. 2. & seqq. Andr. Rivett. in Exod. 20. v. 15. p. 36. Ubi inter alia dicit: pro translato domino moderatam exsolvi compensationem. Ames. cas. consc. 5. cap. 44. Bachov. & Wesenbec. de usur. num. 6. Selden. d. Jur. nat. Gent. & Civ. l. 6. c. 9. & 10. Wisenbach. de usur. th. 3. Atque exinde jure civili ex mora, & ex stipulatione, & hodie ex pacto usuræ peti possunt. vid. recess. imper Anno 1654. §. anreichend die fünffte Zins. Recess. deputat. de Anno 1600. §. So viel nun vers. oder aber B. Landr. p. 2. tit. 1. §. derjenige Carpz. p. 2. const. 30. def. 8.*

XXVI. Atque ita tam consentaneis quam dissentaneis mutui, quæ instituti nostri ratio est, propositis, nihil superest, quam ut adjacentia deniq; consideremus. Adjacentia contractuum tria à Dd. constituuntur 1. culpa. 2. casus fortuitus. 3. Interesse damni emergentis. Quod culpam attinet licet ejus distinctæ sint in jure nostro species, aliaq; lata *l. 22. §. 3. ff. ad Trebellian. l. 7. C. de arbitr. tutel.* (quæ & latior culpa sc. ad discrimen levis *l. 32. ff. depos.*, gravior sc. levi opposita *l. 54. ff. de A. R. D. negligentia crassa l. 6. de jur. & fact. ignorant. magna l. 1. §. 5. d. O. & A. l. 226. d. V. S. minima l. 213. §. 2. d. t. de V. S. lata l. 6. de admin. rer. ad civit. pertin. l. 17. §. 1. d. suspect. tut. dissoluta l. 29. pr. mandat. remissior l. 5. C. de peric. tut. manifesta l. 2. C. arbitr. tutel. nec non ignorantis perditæ & securi hominis l. 3. §. 1. de Jur. & fact. ignor. supina d. l. 6. de jur. & f. ignor. Securitas minima d. l. 6. eod. Segnities, rusticitas, inertia, simplicitas, ineptia *l. 3. §. ult. de suspect. tut. vocatur: alia levis l. 11. de pericul. & com. re vend. alia levissima l. 25. §. pen. loc. l. 25. §. 16. famil. excisc. l. 18. pr. tt. commod. l. 1. §. 4. de O. & A. §. 2. Inst. Q. M. R. C. O. dicatur, tamen superva caneam est circa mutuum de culpa agere, cum culpa sit omisio illius diligentia, quam rebus alienus adhibere debemus, in mutuo vero vel credito num-**

mi

mi accepti alieni dici nequeunt, utpote quorum domini-
um & proprietas transit ad debitorem *pr. Inst. 2. M. R. C. O.*
l. 20. d. A. R. D. vid. Hahn. ad Wesenbec. d. reb. credit. n. 13. & seqq. un-
de etiam in *l. 23. d. R. J.* ubi de culpa agitur mutui mentio
nulla fit.

XXVII. In numero adjacentium porro se offert
casus fortuitus, ubi considerandum venit, anne talis ca-
sus mutuatarium æque liberet, ut depositarium, com-
modatarium, & qui pignus accepit. *§. item is cui res aliqua*
inst. 2. M. R. C. O. §. præterea §. fin. Inst. eod. Est autem casus for-
tuitus seu vis major, Græcis θεῶν βία, id est, vis divina
*l. 25. §. 6. ff. locat. conduct. κώλυμα πῆζον Plutarcho in Numa, ἔμ-
φορὰ θεῶν Eurupidi in Andro & Oreste, fatale damnum*
Ulpiano *l. 3. §. 1. ff. naut. caup. stab.* inopinatus eventus, quem
per consilium humanum, curam seu diligentiam non po-
tuit prævidere, seu avertere is cui accidit *l. 6. §. 7. de offic.*
præf. l. 18. pr. l. 19. commod. l. 1. §. 4. de O. & A. l. 15. §. 2. locat. conduct. l. 2.
§. 7. de adm. rer. ad civit. pertin. l. 6. C. de pign. act. Add. Sebast. Me-
dic. tract. de caus. fortuit. Juris satis expediti est, quod is, qui
mutuum accepit, etsi quolibet casu id amisit, tamen ob-
ligatus maneat, & mutuum reddere cogatur. *§. 2. quib.*
mod. re contrah. obl. l. 1. §. 4. de O. & A. l. 4. l. 9. §. an. de reb. cred. l. in-
conditum 11. C. si cert. pet. Ratio duplex est: prima, quod de-
bitor mutui est Dominus rei creditæ *l. 1. d. lib. legat. l. 16. l. pen.*
de reb. cred. Res autem perit Domino suo *l. 9. C. de pign. acti-*
on. Secunda, quod in mutuo genus, non species sive indi-
viduum debeat *l. 2. pr. l. 3. d. reb. cred.* Genus autem per re-
rum naturam perire non possit *Gotofred. add. l. 11. C. si cert. pet.*
Cum itaq; utraq; ratio cesset in depositario, commoda-
tario, creditore pignoratario, utpote qui domini non sunt
facti rei depositæ, commodatæ, pignoratæ, hinc meri-
to illud in illis receptum est. *per l. 23. d. R. J. l. 18. pr. com-*
mod. §. ult. Inst. 2. M. R. C. O. l. 23. de negot. gest.

XXVIII.

1063.

XXVIII. Tandem illud quod interest, sive interes-
 se. Quod est vel damni emergentis, vel lucri cessantis.
 Utraque non incipit deberi nisi à tempore moræ l. 2. §. si
 navis ff. ad l. Rhod. d. jact. l. lecta de reb. cred. si cert. pet. Joan. Baptist.
 Lup. in tr. de usur. C. 1. §. 6. num. 109. Hippol. Riminald. con. 52. n. 54.
 lib. 1. Et quidē interesse damni emergentis licite peti pos-
 se etiam de jure canonico tradit. Joan. de Castil. quotid. con-
 trovers. cap. 1. num. 75. citante Maulio in thesauro theoretico-pract.
 cap. de mutuo tit. 9. num. 14. Lucri verò cessantis interesse,
 quod creditor inde præten- dit, quia propter moram de-
 bitoris non reddentis pecuniam mutuan, ipse lucro ali-
 quo privatus fuit, nulla ratio habetur l. si steriles §. cum ven-
 ditorem ff. de act. empt. atque ita in camera imperiali judica-
 tum refert Gail. lib. 2. obs. 6. num. 3. nisi creditor mercator sit,
 & solitus negotiari l. 3. §. fin. ff. de eo quod certo loc. l. socium qui
 pro eo ff. pro soc. l. si commissa ff. rem. rat. hab. Gail. d. O. 6. num. 3. Æ-
 stimatio verò ejus quod interest ex constitutione Justi-
 niani duplum ejus quod debetur excedere non debet.
 l. un. C. de sentent. quæ pro eo quod interest. Quod ipsum prin-
 cipale debitum isti duplo inest perez. d. l. Ita ex adverso
 in obligationibus dandi, adeoque mutuo pœna conven-
 tionalis in fraudem legitimarum usurarum, & illius quod
 interest locum non habet, novissime Johannes Philippi in
 usu pract. institut. lib. 3. tit. XVI. §. fin. eclog. 50. Tantum est quod
 circa propositam mutui materiam ob temporis angusti-
 am ex jure nostro, ejusq; interpretibus differere licuit.
 Tu interea, benivole lector, præsentì copia contentus e-
 ris, ac si non ingeniosa accurataq; tractatione, quam po-
 stulare materiæ hujus dignitas visa est, saltem festina-
 tionis professione gratum habebis hunc qualemcunque
 laborem nostrum. Utpote quem impetus magis, quam
 cura protrusit.

Δόξα τῷ θεῷ μνηστῶν.

Juri-

1000.
Juridices sacrae BUSCHOV prænobile germen!
Dum virtutis amor te invitat ad ardua, nec non
Sublimem adscendis magnâ cum laude cathedram;
Ecce! venit roseo vel tandem Phoebus ab ortu,
Optatâq; videre facit tibi Cynthius horâ
Exantlatorum finem, metamq; laborum.

Egregiis, quæso, quis non bona verba precetur
Coëptis? quin tantis omnes FELICITER ausis
Ad clamamus: Honos magno fiet incremento!

*Benivoli affectus indicinam symbolam
adposuit*

CONRAD Friedelieb / U. J. D.
& Professor Publicus.

*Calliopen superas BUSCHOVI basia figens:
Te superat laurum docta ferendo Dea.*

* * *
Calliope du preiß der Schönen/
Verstete mir dein Seit re n=spiel/
Damit du dienst den phoebus Söh-
nen/

Zu treffen wol der Tugend=Ziel:
Doch wirstu selbst besingen müssen
den/ der dich künstlich weiß zuküßē.

So recht O Freund der Pierinnen!
Calliope die ist es wert/

Calliopen Gunst zugewinnen:
Daß man ihr gibt was sie beget/

Was man muß aber schmerzlich
büßen/

Entret man billig gar mit Füßen:
Die Göttin ist nicht ungeneiget/
Wie kräftig ist die Liebe doch!
den der ihr Lieb und Gunst bezeiget/

Zu bringen unter solches Joch/
daß anßer zwang die Freiheit giebet/
und ihren Schladen stets beliebet.

So recht der Musen Princessinne!
Herr Buschov gönnet dir den preiß/
Und du vergnügest seine Sinne/
mit dem was nun ein jeder weiß;
wer so wie ihr weiß recht zu streiten/
den muß wie euch der preiß beglei-
ten.

Das ganze Cor gelarter Zungen,
Kuff diesem meinem Urteil zu:
Hr. Buschov hat den Feind bezwun-
gen:

Nun lebet er in solcher Ruh/
der Ehr und Ruhm zu Dienste stehen.
wer wolte nicht den Streit angehen?

Zu Ehren seines großgeneigten Freund
entwarff dieses

M. CHRISTIANUS PAPKE.

38

Ist nicht aller Welt bekand
 Was vor dem das Griechenland
 In dem Spielen hat betrieben?
 Dem, der hie in Sieger-War/
 Würden Kränze hie und dar/
 Als ein Kleinod zugeschrieben.

Sebus auch führt offte und viel
 Ein belobtes Ehren-Spiel
 In der Wissenschaft und Künsten/
 Zu entfernen seine Leut
 Durch die güldne Tugend, Neut
 Von den dicken Erden-Dünsten

Wer sich hie im Tugend-Spiel
 So bemühet, um das Ziel
 Mit Vergnügung zubegrenzen/
 Der ersiegt die Ehren-Krohn/
 Da er als ein Musen-Sohn
 Stuzen darff in Lorbeer-Kränzen.

Du mein Freund hast wol gespielt/
 Und dem Kleinod nachaeziet
 Auf den Welt-beruffnen Schulen/
 Da dein ungesparter Fleiß/
 Und dein unverdrossener Schweiß
 Um die Weisheit yslag zubuhlen.

Dort der Sachsen-Königin/
 Die berühmte Lenkorin/
 Lebet dir annoch geflossen;
 Der besüßte Rosen-Kuß
 Und der reine Sahlen-Fluß
 Zeugen gleich von deinen wijen.

Endlich da die Oder-Stadt
 Deine Kunst erblicket hat/
 Ward ein Tugend-Spiel bestimmet/
 Also daß der Weisheit Kranz/
 der Gelehrten Schmutz unß Glanz/
 Durch dein kluges Haar geglimmet.

Hie an unsern Greiffen-Dre
 Wird dir nun die Ehren-Pfort
 Von der Themis selbst gezeiget/
 Da sie grüne Lorbeer-Waar
 um dein Hochgelahrtes Haar/
 Nach dem Wort-Gesechte beuget.

Dein höchst-beglücktes Spiel
 Da der Ehren-Kranz zum Ziel/
 Güldner Tugend wird gesetzt!
 Wer also auff Tugend siehet
 Und nur darümm sich bemühet
 Wird zu seiner Zeit ergetet.

Also hat dem Herrn Doctorando wegen des ersiegtten Ehren-Kranzes glückwünschend beygepflichtet

U R B A N U S Lehmann.




ULB Halle 3
003 017 125




86

VD77







B.I.G.

Farbkarte #13

4534.

Q. D. O. M. B. V.

1666, 1

1055

DISPUTATIO. JURIDICA. INAUGURALIS.

DE

M U T U O.

QUAM.

DECRETO. ET. AUTORITATE.

MAGNIFICI. JCTORUM. ORDINIS.
IN. REGIA. ACADEMIA. GRYPHICA.

P R A E S I D E

VIRO. NOBILISSIMO. AMPLISSIMO. CONSUL-
TISSIMO. EXCELLENTISSIMO.

Dn. JOANNE. POMERESCHIO.

JCTO. ET. ANTECESSORE. PUB. CELEBERRIMO.
FACULTATIS. SENIORE. ET. DECANO. SPECTA-
BIL. REGII. CONSISTORII. VICE-DIRECTORE.
GRAVISSIMO. ETC.

DOMINO. ET. MAECENATE. SUO. PLURIMUM.
DEVENERANDO.

D O C T O R A L E M.

NOBILITATEM. ET. INSIGNIA. IN. UTROQUE.
JURE. PROMERITURUS.

PUBLICAE. ERUDITORUM. DISQUISITIONI.
AD. DIEM. MENS. AUGUSTI.

A. R. O. S. M. DC. LXVI.

IN. AUDITORIO. MAXIMO. SUBMITTIT.

JOACHIMUS. BUSCHOVIUS.

RUPINO-MARCHICUS. AA. LL. MAG. ET. REGII.
DICASTERII. QUOD. IN. POMERANIA.

EST. ADVOCATUS.

GRYPHISWALDIÆ.

TYPIS. MATTHÆI. DOISCHERI. ACAD. TYPOGR.